

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 8514

**Auteur(s) :** Gosselin Crispin [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Lisors, Notre-Dame de Mortemer (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1142-1168, 28 juin]

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Gosselin Crispin donne aux moines de Mortemer 128 acres de terre à La Pommeraie et la terre de son fief à La Mésangère moyennant la rente annuelle de 7 sous de Rouen

## Tableau de la tradition

a. Gallagher Philip Francis, *The Monastery of Mortemer en Lyons in the Twelfth Century*, its History and its Cartulary, Thèse, University of Notre-Dame, Indiana, 1970, 375 p. (dactyl.), « The Cartulary of Mortemer – B. N. MS. Latin 18369 », Act 16, p. 219-220.

## Dissertation critique

Cet acte se situe entre la charte de confirmation d'Hugues d'Amiens en 1142 (GALLAGHER, Monastery of Mortemer, Act 4) et celle de Rotrou de Warwick, archevêque de Rouen, en 1168, 28 juin qui n'évoque pas cette donation (Ibid, Act 8).

Texte d'après a

Carta Ioscelini Crispini de Pomereia et Mesengeria.

[I]n nomine sancte et individue Trinitatis. Notum sit omnibus fidelibus tam presentibus quam futuris quod ego Goscelinus Crispinus pro salute anime mee et Roberti de Dangu et Eufemie uxoris eius et Isabelis filie eius, videlicet uxoris mee, atque omnium amicorum nostrorum concedo Deo et sancte Marie et conventui fratrum de Mortuomari in Leonibus CXXVIII acras de terra mea circa Pomeriam in elemosinam absolute et absque omni cuiuslibet servicii vel consuetudinis vel exactionis retentione in perpetuum libere possidendas, ex quibus LX predictus Robertus de Dangu in elemosinam illis donavit et alias LX superaddidimus pro concordia quam fecimus pro morte Ade Aculei et reliquas .VIII. pro terra Bartholomei de Neafla. Et preter hoc terram ad curiam et ad edificia sua facienda et quod homines mei de feodo meo illis dederunt vel in futuro dabunt salvo servicio meo illis similiter concedo. Insuper etiam concedo eis quicquid de feodo meo habetur in terra de Mesengera quam Belotus filius Hiteri de Noiun donavit filiis Ricardi de Plaisseio, Hugoni scilicet Radulfo atque Waltero propter pacem restituendam inter se et illos, qui propter interfectionem patrum suorum contra invicem dissidebant, quam terram predictus Hyterus de Noiun pater Beloti precio emerat tam sibi quam heredibus suis libere in perpetuum possidendam exceptis VII solidis Rothomagi vavassoribus de Warcliva et de Lisors qui illi terram vendiderant singulis annis ad festum sancti Remigii persolvendis, quorum nomina sunt hec : Hugo Guerner, Robertus Marcafessa, Ebroinus de Altavesna, Hugo Pinel et Radulfus frater eius et Radulfus de Mucegros. Eo autem pacto donavit Belotus terram predictis filiis Ricardi ut et ipsi Deo et sancte Marie et fratribus de Mortuomari eandem terram in elemosinam donarent propter eorum videlicet animas ob quorum interfectionem dissensio erat, libere omnino in perpetuum possidendam exceptis VII solidis Rothomagi predictis vavassoribus et heredibus eorum annuatim ad festum sancti

Remigii persolvendis. Quod ita fecerunt. Ut autem hec omnia semper rata permaneant sigilli mei impressione confirmo, concedente Isabele uxore mea et Willelmo et Roberto filiis meis et Eustachia et Agnete et Eva et Emelina filiabus meis. Testibus : Waltero Torello, Anschero de Salcheio et Eustachio filio eius, Godefrido de Strepeneio, Sarracheno de Geniis, Reginaldo filio Godefrido de Estrepeneio, Grimoldo de Nealfla, Waltero de Grainvilla, Hugone de Lisors, Roberto de Nuers, Odone de Gisencurte, Odone Buschet.